

bonæ indolis florem, qui ad nutum oris nostri fructum suum meditatur etiam sub ferula : quorum etsi nomina tibi scripta legeres, tamen notitia careres, cum faciem ignorares. Quo tamen verbo me ipse coarguo : quia si cujusque notitiam ex facie metiris, nec te nosti ipsum, cum faciem tuam nunquam ipse videris. Saluto te super omnia ea genuina claritate, qua te in cunabulis disciplinæ, elementario eruditionis lacte nutriti, et ad solidam perfectionis doctrinæ cibum usque perduxi, ut de cæterò commilito meus in acie, et concolonus in labore, communiticeps mihi sis supernæ civitatis, et cohæres æternæ hæreditatis. Salutat us ergo saluta ex meo

A nomine humili fratres meos, non quos raro et sanguis in unam mihi congeneravit cognationem, sed quos aqua et Spiritus in unam mecum regeneravit adoptionem : ut cohæres Christi in regno Dei Patris testamento sanguinis ejus sortem accipiamus æternæ beatitudinis. Saluto ergo patres et dominos fratres et amicos ; patres cura regiminis, dominos dignitate prælationis ; fratres in Deo patres, amicos in charitate. Saluta, inquam, unumquemque eorum, prout nosti mecum esse vel tecum. Salutatio mea sit ad vos omnes, ut eo adjuvante in quem credimus, pariter sinus æternæ vitæ consortes. Amen.

ANNO DOMINI MLIX.

# JOANNES

## SABINENSIS EPISCOPUS.

### NOTITIA HISTORICA.

(UGUELLI, *Italia sacra*, I, 159.)

Joannes Joanni successus est, electusque episcopus cardinalis Sabinensis a Leone IX. Romano concilio interfuit sub Nicolao II, anno 1059. Sub Alexandro II e vivis eximitur. Hujus Joannis Sabinensis episcopi in monasterii Farfensis indignum facinus, atque in eum divinam ultionem recitat anonymus Vaticani codicis de destructione Farfensis monasterii anno 3 Leonis IX. « Temporibus Leonis papæ, Joannes Sabinensis episcopus, qui insidiabatur monasterio Farfensi pro decimis et oblationibus mortuorum, maxime pro ecclesia S. Angeli in Toncia, de qua olim fecerat iniquam convenientiam cum domino Ugone abbate, qui eandem ecclesiam S. Angeli tenuit et possedit in dominium hujus monasterii, quam convenientiam ideo diximus, quia temporibus D. Adriani I pontificis Ildebrandus dux per suum C præceptum huic monasterio concessit. Hæc omnia ignorabat præfatus Hugo abbas, utpote alienigena vir, et prædictam concordiam ab episcopo suscepit, nesciens. Itaque prædictus episcopus insurrexit post hoc, et ad eandem ecclesiam S. Angeli armata manu perrexit, ejus altare amovens destruxit, et reliquias ex illo abstrahens secum asportavit ; et cum inde ad episcopium reverteretur, subito cælo optime serenato orta est aquæ, grandinis et fulguris

B maxima tempestas. Quo viso episcopus scessit a via in quendam locum qui dicitur Area, et morantur aliquantulum ibi cum ipsis reliquiis fecit. Accidit tunc grande miraculum, in ipso loco ubi reliquiæ manebant, nil pluvie vel grandinis ibi cecidisse. Cessante vero tempestate, rediit ad episcopatum cum magno pavore. Altera autem die, hoc cum audiret D. Bernardus abbas Ortanus, elegit quendam episcopum, qui tunc forte hospitabatur in hoc monasterio, de Ultramontanis partibus, et collectis abbatie viris et fidelibus militibus cum maximo honore reedificare studuit ipsum altare, magnis et præcipuis ibi reconditis reliquiis. Super quam reu prædictus episcopus valde condoluit Sabinensi Ecclesia, et quia altare ipsum destruxerat et reliquias asportaverat, ipsa nocte percussus est, et unum latus latus corporis obstupescens, donec advixit, periit. Post hoc veritus et pavens super hoc, et nimis dolens, pro ædificatione quam D. abbas noster fieri studuerat, ad eundem locum episcopus perrexit, et abstractis inde novis quas invenit reliquiis, priores illic honorifice recondidit ; de ipsis vero novis reliquiis in suo episcopio altariolum construens, consecravit, et demum in D. abbatem nostrum in synodo proclamationem sic fecit. »